

III. 434

S E R M O

16. 8. 28

Q U E M

REVERENDISSIMUS ac AMPLISSIMUS
D O M I N U S

ANDREAS SAUBERER

Sacr. Cand. Canon. ac Exempt. Ord. Præmonstr.
Canonicorum Regularium

P R A E L A T U S , & A B B A S

Regis Eccl. S. Joan. Bapt. de Castro Jászov

P R A E P O S I T U S

Sac. Cæf. Reg. & Apost. Majestatis Consiliarius

H A B U I T

D U M

Ejusdem Ordinis Canonici Regulares Jászovienfes

Scholis Regii Gymnasii Majoris

R O S N A V I E N S I S

P R I M U M

P R A E F I C E R E N T U R

Mense Novemb. Die XI. Anno M. DCC. LXXVIII.

C A S S O V I A E,

EX T Y P O G R A P H I A L A N D E R E R I A N A .



Ea est omnium hominum agendi ratio,
hic animus, ut quanto altius rerum
fuarum felicitatem proiectam esse conspiciunt,
tanto majori gaudio affiantur.

Jam vero sæculo, quod vivimus, quis ne-
scit, quanta nobis felicitatis accessio facta sit?
Sive enim pacem, & tranquillitatem Patriæ nostræ
spectemus, sive optimarum artium, & pulcher-
rimarum disciplinarum incrementa attendamus,
sive Religionis, & conservandæ, & promovendæ
optatissima media consideremus, seu denique
insignem Nobilissimorum Ordinum florem, & dig-



nitatem expendamus , omnia hæc eo perducta sunt , ut admirationem , & perrennis gratitudinis testimonium poscant , dignitati vero parem enarrationem excludant.

Cui vero hanc temporum nostrorum gloriam , hoc sæculi hujus decus debemus ? TIBI post DEum Augustissima Romanorum Imperatrix Regina Apostolica Hungariæ ! TIBI Magna **T H E R E S I A** ! quæ post suscepta Regni Gubernacula omnes curas , & consilia Tua eo vertisti , ut barbarorum hostium sævissimis incursionibus , quibus Patres nostri miserum in modum vexabantur , Regna , Provinciæ , urbes , oppida , villæ vastabantur , aditum præcluderes ; pacem , qua florentiorem memoria sæculorum non vidit , faceres ; Præstantissimas artes induce- res ; colendæ , & erudiendæ juventuti , frequen- tissima juxta , ac florentissima Musæa , Lycæaque

pone-



poneres; optimosque Moderatores deligeres.
TIBI Clementissima Domina, hæc omnia pulcherrima, & utilissima commoda nostra grati deferimus, Quæ quidquid boni, quidquid pulchri, quidquid utilis, & necessarii sive domi, seu in peregrinis Regionibus videras, non quietisti eousque, donec totum id in Patriam nostram induceres, atque hoc pacto populum de-
votissime **TIBI** subiectum felicem præstares: & omnino præstitisti, adeo, ut quæ felicitatis par-
tes in alienis ditionibus divisæ sunt, hic omnes
in summam collectæ esse videantur.

Gaudeamus igitur, quibus hæc solatii argu-
menta obtigerunt, atque in grati animi immor-
tales testes, munera, quæ optima nobis super-
sunt, deferamus; munera vero, quæ tam Cle-
mente, tam Provida, tam Benefica Domina
nostra digna censeri possint, cum alia non su-



persint, quam obsequiorum officia; Eja filii,
& fratres in Christo! eamus, imo curramus, ani-
mo prompto, & hilari, ad obsequendum Ejus
Majestati; non petit a nobis aliquid in pro-
prium, & singulare commodum, sed quæ nobis
laudabilia, & honorifica, Patriæ vero necessaria
sunt, & proficua. Petit a nobis, ut erudiamus
juventutem ad timorem DEI, Religionis verita-
tem, ad morum honestatem, ad ingenuas opti-
marum artium disciplinas, & hac ratione aperit
nobis amplissimam de Patria, de Rege merendi
occasione; quid dubitabimus eam doni instar
avidis animis arripere?

Ita est: nemo dubitat, omnium nostrum
hic sensus est, & sententia.

Cum vero ad laudem, & præmium non
sufficiat opus bene aggredi, sed præterea ne-
cessse sit bene prosequi, bene terminare: vestra

om-



omnium, Fili idilectissimi! intererit tota nervorum contentionе eo tendere , ut fructus ille , quem Patriæ paratis in juventute studiosa elucescat, non vobis satis sit agere , sed agere pro gloria DEI , agere pro Patriæ emolumentо , agere pro decore Sacri Ordinis nostri , pro juventutis bono , pro vestri denique commendatione adnita-
mini: non vobis satis sit juventuti adesse , ex-
plere horas Scholasticas ; sed curate insuper , ut nulla temporis pars prætereat , qua non ali-
quod progressionis in juvenum animis præstetis incrementum. Sed & Disciplinæ Divi Patris no-
stri Norberti recordemini , ita vitæ vestræ ra-
tionem instituite , ut sitis aliis ædificationi , &
exemplo , vobis vero ipsis mutuo solatio.

Ista vero non ita a me dici existimetis ,
quasi de vestra , aut diligentia , aut religiosa productione dubitarem , nihil minus : scio opti-



me nihil eorum desiderari in vobis, quæ Canonicae Professionis Religiosorum, quæ publicè docentium nominantur ornamenta: eo fine duntaxat hæc a me dicta sunt, ut intelligatis, quæ vota mea sint, quæ Reipublicæ de vobis expectatio.

Quia vero labor Magistri vanus est, & inutilis, nisi ei respondeat obsequium, & diligenzia discipuli; idcirco Vos jam alloquor Juvenes optimi! qui evoluto jucundissimi otii tempore ad diligentem operam amœnissimis disciplinis dandam, & animorum promptitudinem, & ingeniorum docilitatem attulistis; felices vos! quibus tam nobilem ætatem attingere licuit, ut jam a teneris annis, pulcherimarum eruditiorum, quas laudatissima educandæ gentilitiæ juventutis nostræ Norma præscribit, elementa condiscere queatis. Eja ergo, magnis animis vestra studia aggrediamini! studia, quæ adoles-

cen-



scentiam alunt, senectutem oblectant, secundas
res ornant, adversis consolationem præbent.
Agite, ut transacto anni Scholastici intervallō,
non vos negligentiae vestræ pœniteat, verum fa-
ctæ optimæ progressiones delectent. Date hanc
gloriam DEO, cui olim strictam neglecti tempo-
ris rationem estis reddituri; date hoc gaudium
Augustissimæ Dominæ nostræ, Majestati Sacratissimæ,
quæ singulari gratia, liberalitate, amore,
& æstimatione non literas tantum, verum &
literatos prosequitur; date hoc solatum paren-
tibus vestris, qui vestri gratia sumptus magno
labore partos impendunt, ut in decus Nominis
vestri, & spem Patriæ erudiamini; date hanc
lætitiam Superioribus, & Professoribus Vestris,
quibus nullus labor gravior est, quam qui dili-
gentibus impenditur. Videte Juvenes ingenui!
quid non agat miles, sive in castris, seu in
campo



campo Martio ; cogitate labores , quos suscipit ; molestias , quas patitur ; pericula , quibus se subjicit ; famem , sitim , frigus , æstum , quibus non raro vexatur , ut laudem strenui militis consequatur .

Vos litterarum honorem , & ornamenta cupitis , expendite : an dignum non sit , industriam omnimodam adhibere , ut optatissimum studiorum vestrorum finem attingatis ? nonne præstat annos adolescentiæ labori diligenter impendere , & splendorem illum , qui vinculo indissolubili literatos ubique sequitur , obtinere , quam negligenter conterendo , ignobilem postea vitam , inter ignaviæ mancipia vivere ?

Annuitis nullus dubito , Studiosi dilecti ! neque amplius aliud , quam signum inchoandi laboris expectatis ; Ite igitur ! & DEO optimo Maximo votis vestris favente , studiis vestris

Prin-



Principium date ! Ite & Magistri , & discipuli !
Ite Filii , solatia , lumina , baculus senectutis
meæ ! Ite ! hoc imperat Clementissima Domina
nostra , hoc poscit dulcissima Patria nostra . Ego
a vobis jam divellor , ut reliquos , qui adhuc
pauci supersunt , dies vitæ meæ , dies , quos jam
luctus , & dolor occupat , in patientia DEO
meo consecrem . Divellor a vobis terra , sed
animo , sed amore , sed cura paterna semper
me præsentem estis habituri . Non turbetur cor
vestrum , neque formidet : et si enim esset reli-
quum nihil , quod ad solatum faciat , habemus
tamen sufficiens spei , & ornamenti argumen-
tum in TE Præsul Illustrissime , Reverendissime
Domine D. Episcope ! cuius quanto notior be-
nignitas , & gratia , tanto major nobis est fi-
ducia , TIBI igitur se una mecum offerunt
clientes devotissimi , atque ut eos TUO Pa-

tro-



trocino, & Protectione foveas, & pro ea, qua
maxima polles auctoritate, tuearis, vehementer
orant; TUÆ Pastorali, Paternæque curæ se hu-
manissime commendant, ut iis in occurrentibus
rebus difficultibus auxilio, in ambiguis consilio,
adesse velis. Sed & Vestram Illustrissime Do-
mine Præposite Major, Reverendissimi Domini
hujus Ven. Cathedralis Ecclesiæ Canonici! ope-
ram poscimus, accipite sub tutelam Vestram,
& Professores, & Discipulos, atque conatus eo-
rum favore, ac Benevolentia Vestra prosequami-
ni, & protegite; sic fiet, ut & gloria DEI,
& bonum publicum, & res literariæ majora in
dies accipient incrementa. Valete, & me
~~ad~~ vestris precibus comitemini.

